



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 27. Hæc dissensio a Clemente VIII. sedata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

fraganeis aliquot in Anglia ex communi Sæc. XVII.
 ni Sacerdotum suffragio, seclusis Jesuitis, eligeretur. A. C. 1601.
 II. Seminarii Romani cura Patribus Societatis adimeretur.
 III. Prohiberet sua Sanctitas, ne libri de rebus, quæ ad Regni Statum, ac Reginæ & Magistratus offensionem spectant, editi in Angliam transmitterentur.
 IV. Sacerdotibus in Anglia potestatem faceret, leges & statuta condendi, juxta quæ Catholici libere conversari possent, ipsique populum in obsequio fidei, ac debita Principis submissione, sancita demum concordia continere valerent. Sub idem tempus Robertus Cliarnocus Cleri Anglicani defensionem in se susceperat, edito libello, in quo tamen vehementius, quam par erat, in Archipresbyterum & Jesuitas debacchabatur: quocirca, aliasque ob causas ipsius Borghesii, cui scriptum hoc nuncupaverat, & Henrici Cajetani Cardinalis mandato ex Anglia faceffere jussus est.

§. XXVII.

*Hæc dissensio a Clemente VIII.
 sedata.*

Hæc dissensio integrum quadriennium tenuit, quo tandem evoluto Clemens VIII. Pontifex Maximus veritatem exacte edoctus hoc anno mutuis crimini-

Sæc. XVII. criminationibus obicem opposuit, dato
A. C. 1601. ad Georgium Blakwellum diplomate
 quo eum serio monuit, ut mandati li-
 mites haud egressus, potestate sibi con-
 cessa caute ac prudenter uteretur, nec
 in Presbyteros, qui extra Seminaria
 degunt, jurisdictionem suam extende-
 ret, facultate adempta infligendi cen-
 suras, & statuta condendi, aut contra
 Sacerdotes ad Sacram Sedem appellan-
 tes procedendi, nisi prius consulto Re-
 gni Anglicani Protectore, & sententia
 ejus expectata. Insuper prohibuit, ne
 ulla negotia ad officii sui administratio-
 nem spectantia cum Patribus Societa-
 tis communicet, revocatis ea de re se-
 cretis Cajetani mandatis. Imposterum
 autem de iis omnibus ad Sedem Apo-
 stolicam, & Regni Protectorem referat,
 nec sinistri aliquid de Viris Religiosis
 suspicetur. Insuper monetur, ut elee-
 mosynas ex pia fidelium liberalitate col-
 lectas egenis & præcipue pro fide Ca-
 tholica incarceratis integra fide erogat,
 nec legitimis ad Sacram Sedem appella-
 tionibus obsistat. Postremo, ut omnis
 diffidii radix evelleretur, præcepit
 Pontifex, ut omnes libri contra Jesui-
 tas æque ac Sacerdotes editi damnen-
 tur, nec imposterum ullus vel calamo
 vel lingua alium infectetur, indicta
 anathematis poena. Denique ad An-
 glica-

glicanos Sacerdotes converso sermone Sæc. XVII.
 eos hortatur, ut pacis studiosi vineam A. C. 1601.
 Domini communi labore excolere stu-
 deant, non alta sapientes, sed humi-
 libus consentientes; se etiam invicem
 diligant, nemini dantes offensionem,
 aut malum pro malo reddentes: proin-
 attenderent, ne ministerium, quod tot
 laboribus exantlatis ad Dei gloriam,
 fideique incrementum exercuerunt, in
 ipsis vituperetur. Datum est hoc di-
 ploma die quinta Octobris, a quo tem-
 pore inter Catholicos aliquamdiu ex-
 optata pax in Anglia floruit, quin pro-
 pterea diræ in eos vexationes cessaf-
 sent; cum enim Jesuitæ Sacerdotes
 Anglos de variis criminibus postularent,
 & vicissim hi palam edicerent, quod
 ex Jesuitarum culpa tanquam unica
 radice tot severæ leges adversus Ca-
 tholicos sancitæ pullularint, eoquod hi
 in cunctis conjurationibus partem ha-
 buissent, quinimo assassinos in Reginæ
 vitam subornassent, aulæ Ministri Ca-
 tholicis alias infensissimi, cum ejusmo-
 di criminationes quantumvis falsæ eis
 innotuissent, Elisabethæ Reginæ Ora-
 tori infusurrabant, quod Jesuitæ aliique
 Sacerdotes eisdem adhærentes perni-
 ciosa adversus Reginam consilia machi-
 narentur: hoc autem falso obtentu freta
 Regina edito diplomate, hos Regno exu-
 lare

Sæc. XVII. lare jussit, non modo intercisa omni
 A. C. 1601. redeundi spe, sed indicta etiam capitæ
 pœna, cui pariter subiciebantur ceteri
 Sacerdotes Jesuitis adversi, nisi inter-
 posita Sacramenti Religione Reginam
 velut supremum Ecclesiæ Caput agno-
 scere vellent.

§. XXVIII.

Bellum in Belgio continuatum.

Gallut. de bello Belgico l. 13.
Thuan. hist. l. 126.
Grotius l. 10.
 Quantumvis fœderati Protestantes primis hujus anni Mensibus ab armis cessassent, Mauritius tamen eorum Bellidux tempestate ad bellandum opportuna usus ad fallendum hostem Sylvam Ducis invadere simulabat, mox vero summa, qua potuit celeritate cum viginti suorum millibus Rhenobergam contendit, hancque urbem, cujus jacturam Fœderati Ordines ob interceptam navigationem ægerrime ferebant, die secunda Julii obsidione cingit, ac nullo ferme negotio munimentum ex adversa fluminis ripa positum occupat. Dein castris adversus eruptiones valide munitis, excitatisque aggeribus & tormentorum suggestibus ipsam urbem quaterere incipit, præfidiariis non minus strenue ac frequenter erumpentibus. Præerat enim urbi Ludovicus Bernardus Avila bellicæ artis peritissimus: aderant